



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Qvæstio III. De Modo Unionis ex parte assumentis. In octo Articulos diuisa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)



sona Spiritus sancti vocatur donum incrementum, vt patet ex 1. parte quæstione 38. Tertio, Modus ille seu inexistencia humanitatis in Verbo, dicitur gratia vnionis; & sic gratia vnionis est quid cratum. Ita D. Thomas infra art. 12. ad 3. Quarto, Totus Christus interdum dicitur gratia vnionis; quia est summum donum gratiæ nobis collatum; constans vnione Verbi & humanæ nature; iuxta illud Ioan. 3. v. 16 *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vngentum daret.* & Isaia 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et sic gratia vnionis est quiddam constans ex creato & increato. Vide Caiet. infra quæst. 7. a. 3. & D. Bonaucaturam in 3. dist. 2. art. 3. qu. 2.

ARTICVLVS XI.

*Vtrum Vnionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint?*

78  
Nulla merita præcesserunt de condigno,

**R**espondetur Tribus Conclusionibus. Prima est; Christus non potuit suam Incarnationem mereri. Ratio est; quia ipsa erat principium omnium meritorum. Principium autem meriti, non cadit sub meritum.

Secunda: Nulla creatura potuit ex condigno mereri Christi incarnationem. Primo, quia merita ex condigno, ex natura sua ordinantur ad beatitudinem, tamquam ad vltimum terminum: atqui vnio hypostatica est longè sublimior, quam vnio beatitudinis. Quare merita creaturæ non habent proportionem condigni ad illam. Secundo, Quia hæc vnio est principium omnium meritorum, saltem in humana natura: ergo saltem nullus hominum potest illam mereri. Tertio, Quia bonum vnus hominis puri, non potest esse causa vniuersalis totius boni humani generis.

Præcesserunt sanctorum Patrum merita de congruo,

Tertia Conclusio: Ex congruo Sancti Patres, meruerunt Incarnationem: cum enim Deus istud mysterium ex sua gratuitâ voluntate prædestinasset, præuisis Patrum meritis; etiam propter illa

voluit illius executionem. Verum de hoc plura Quæstione de merito Christi.

ARTICVLVS XII.

*Vtrum gratia vnionis fuerit Christo homini naturalis?*

**R**espondetur duabus Conclusionibus. Prima; Nec gratia Habitualis, nec gratia vnionis fuit Christo naturalis, tamquam ex principijs humanæ nature causata fuerit. 79  
Distingui- tur.

Secunda: Vtraque gratia quodammodo fuit Christo naturalis; tum, quia à natiuitate; tum, quia à natura diuinâ, quæ in ipso erat.

Notandum est, Gratiam vnionis (quæ nihil est aliud quam coniunctio humanæ nature cum Verbo) Christo homini dupliciter dici naturalem. Primo, Quia est de ratione huius suppositi, & etiam ipsius nature humanæ, quatenus est natura huius hypostasis; ita vt sine illâ gratiâ hoc suppositum humanum, seu Christus, esse vel concipi nequeat: Et ita quodammodo pertinet ad naturam huius suppositi. Sicut de ratione hominis est vnio anime cum corpore; & de ratione anime, quatenus est vita huius corporis, est inexistencia & informatio corporis; ita vt sine eâ concipi nequeat vitam dare. Secundo; dicitur naturalis, quia est à principio intrinseco, nam facta est à natura diuina, quamuis non naturaliter ab illâ manauerit, sed liberè effecta sit. Quòd fit vt hac ratione valde improprè dicatur naturalis.

Gratia autem habitualis similiter dicitur naturalis dupliciter. Primo, Quia tamquam naturalis quedam proprietas sequitur ex vnione humanæ nature cum Verbo, non physica emanatione, sed morali. Quomodo gloria corporis emanabit ex beatitudine anime in beatis. Secundo, Quia à natura diuinâ emanauit in humanam; median- te tamen libera efficientia. Vnde hac ratione valde improprè dicitur naturalis. Similiter & gratia Habitualis

Q V Æ S T I O T E R T I A.

De modo Vnionis ex parte assumentis.

*In Octo Articulos diuisa.*

ARTICVLVS I.

*Vtrum persona diuina conueniat assumere naturam humanam?*

**R**espondetur; Assumere naturam creatam proprijsimè conuenit personæ diuinæ. Probat; Quia persona diuina est principium & terminus huius assumptionis; principium quidem, quia est causa efficiens; terminus verò, quia assumptio fit per vnionem ad personam: ergo persona proprijsimè dicitur assumere. Patet Consequencia, quia assumere nihil aliud in-

cludit, nisi esse principium & terminum assumptionis: Nam nihil est aliud nisi *sumere ad se.*

Notandum in Responione ad 1. solum agi de modo loquendi: est enim reuera humana natura Verbo fit adiuncta & adstricta; tamen non ita proprie dicimus Verbo esse aliquid additum, aut aliquam accessionem factâ ad Verbum: cum enim omnia in se eminenter contineat & anticipet, nihil perfectionis ei accreuit; sed potius humanæ nature omnis perfectio accessit.

Notandum Secundo, in Resp. ad 2. Omne indiuiduum essentialiter esse incommunicabile, sed modo sibi accommodato: natura enim indiuidua est incommunicabilis pluribus naturis, quibus identifficetur: in hoc enim consistit ratio eius indiuidua. Non tamen est incommunicabilis pluribus personis, 2  
Quomodo natura indiuidua sit incommunicabilis.



Quomodo  
hypostasis.

personis, quia potest à pluribus terminari. Cōtrā, hypostasis est incōmunicabilis pluribus personis, nam de ratione eius est esse vltimō terminatum, ita vt nihil ei subit: est tamen cōmunicabilis pluribus naturis; quia etiam terminus vltimus non possit amplius terminari: possunt tamen plura eodem termino terminari. Sed occurrunt hic duo dubia.

D V B I V M I.

An persona creata possit assumere immediatē aliam naturam creatam?

3  
Nequit id  
feri vir-  
tute natu-  
rali.

**R**espondeo & Dico Primò, Non potest virtute naturali alienam naturam hypostaticè assumere. Est certa & communis Doctorum in 3. dist. 1. Probatur, Quia duas naturas esse in eodem supposito, est supra conditionem naturalem rerum quæ fert vt singulæ naturæ suam habeant suppositum, ac per se existant: atqui conditio naturalis à rebus superari non potest per vllas vires creaturæ. Vnde nec Angeli hoc modo assumere corpora possunt, sed dumtaxat instar externi operimenti. Confirmatur, quia modi seu proprietates vniuersales entis, quales sunt, esse per se, & esse in alio, non possunt mutari, nisi ab auctore totius vniuersi.

4  
Neque  
diuina.

Dico Secundò, Etiam per potentiam Dei absolutam fieri nequit, vt persona creata alienam naturam sibi copulet; ita vt illi suam hypostaticam vniōnem immediatè communicet, Est communis sententia Doctorum in 3. d. 1. & 5. vbi Durandus dist. 1. q. 5. Paludanus q. 1. Caietan. hoc loco, & D. Thomas in resp. ad 2. qui tribuit hoc infinitati Verbi, quod alienam naturam terminare possit. Neque quemquam puto negaturum, qui censet personalitatem esse dumtaxat modum quemdam existentiam.

Modus  
vnius rei  
nequit  
rem aliam  
modis  
ficare.

Ratio est, Quia supra ostensum est personalitatem nō esse rem aliquam à natura creata realiter distinctam, sed solum naturæ quendam modum & terminum. Sicut figura est modus qualitatis, Atqui id quod solū est modus rei ab illa non realiter distinctus, non potest vlla ratione, nisi rem illam modificare, vt patet inductione: Vna enim figura non potest afficere nisi vnum corpus; vna scilicet non potest esse nisi in vno homine; vna paternitas nisi in vno Patre. Cuius ratio vltior est, quia modus omnis in suo conceptu essentiali includit id, cuius est modus; ita vt sine illo ne cōcipi quidem possit: nihil enim est aliud, quàm ipsa res, taliter vel taliter se habens; sic vel sic modificata: ergo non potest alienam naturam terminare vel modificare, nisi eius natura, quam naturaliter modificat, transeat in alteram, ita vt diuæ naturæ fiant vna natura. Cōfirmatur à simili: impossibile est vt accidens communicet alteri accidenti suam inhaerentiam, ita vt alterum per illam inhaereat; idque ideo dumtaxat, quia inhaerentia est modus accidentis: ergo nec vna substantia potest alteri suam substantiam communicare, vt per illam subsistat: quia substantia est tantummodò substantiæ modus.

5  
Substentia  
verbi  
non est  
modus.

Dices: Ergo nec Verbum diuinum poterit suam substantiam communicare alteri naturæ. Respondeo Negando Consequentiam, Quia substantia Verbi non est dumtaxat modus qui-

dā res, sicut substantia creata: sed est per se ipsam res perfectissima; & purissimus actus, vbique intimè præsens. Quare facillè potest alienas naturas terminare & sustentare. Et quia hoc illi conuenit propter infinitatem, dicit D. Thomas, hanc vim terminandi alienam naturam requirere infinitatem in persona.

D V B I V M II.

Utrum suppositum creatum possit alienam naturam creatam diuinā virtute, saltem mediante assumere, sustentando & terminando illā, mediante suā naturā?

6  
Affirmatur

**R**espondeo, Valdè probabile esse id fieri posse per omnipotentiam creatoris. Tenet hoc Guilielmus Occam in 3. qu. 1. Et Ioan. Maior in 3. dist. 1. qu. 5. Inclinat valdè Scotus dist. 1. qu. 4. & Gabriel eadem dist. qu. 2. dub. 5.

Potest vna  
res alteri  
intimè esse  
præsens in-  
que varijs  
modis.

Probatur Primò, Quia nulla apparet implicantiā. Imò videtur multò facilius, quàm mysterium Incarnationis: nam maior est proportio inter naturas creatas, quàm inter creatam & increatam: & vtraque alteri facillimè potest per diuinā potentiam ita applicari, vt altera alteri sit intimè præsens per suam substantiam; idque varijs modis: nempe vt vna coexistat tota singulis partibus alterius, vel vna alteri coextendatur. Item, facillè potest esse vnus trahi ad existendum in altero, non tamquam in subiecto, sed tamquam in terminante existentiam. Si enim natura humana potuit trahi & eleuari quasi in immensum supra se, ad inexistentem Verbo sine informatione: cur non etiam poterit trahi ad inexistentem alteri supposito; præsertim cum hic non opus sit tantā eleuatione; & possit illi supposito dari quædam capacitas, secundum quam alteri naturæ aptetur, eamque accipiat & eius existentiam terminet.

Probatur Secundò, Si personalitas creata esset res distincta à naturā, nulla esset ratio, cur talis personalitas non posset poni in diuersis naturis, illasque terminare & sustentare; vt fatentur etiam auctores alterius sententiæ: Sicut idem accidens potest poni in diuersis subiectis; & eadem anima in diuersis corporibus; & idem corpus in diuersis locis. Neque ad hoc necessarium esset, vt talis personalitas eminenter cōtineret personalitates aliarum naturarum; aut vt haberet vim infinitā terminandi: sed satis esset habere vim terminandi & sustentandi naturam, & modo sibi accommodato per potentiam Dei ad hunc effectum eleuari. Ergo cum suppositum creatū mediante naturā hæc omnia habeat, non videtur vlla ratio, cur negari debeat alienam naturam illi hypostaticè posse vniri.

Probatur Tertio, Quia Deus potest res creatas eleuare ad efficiendum aliquid, quod illarum vim naturalem excedit: vt res naturales ad efficienda opera supernaturalia. Cur etiam non possit vnū suppositum eleuare ad capiendam & terminandā, & sustentandā aliquam naturam; ad quam non habet naturalem proportionem? difficilior enim videtur dependentia effectus à causā non habente naturalem virtutem efficiendi, quàm dependentia naturæ à termino seu supposito sibi non naturali; quia hæc dependentia nullam causalitatem inuoluit.

D d Probatur



7  
Quidam  
consens  
Angelos  
assumpsisse  
vera cor-  
pora.

Probat *Quartò*, Multi viri eruditissimi sentiunt re ipsa quosdam Angelos fuisse incarnatos: ergo signum est hoc non inuolueri contradictorium. Antecedens patet, Nam *Tertull.* lib. de carne Christi, & lib. 3. contra Marcionem & alibi, dicit Angelos veram carnem assumpsisse, cum apparuerunt Abraham: & inde probat possibilem fuisse Incarnationem Verbi in verà carne. *Origenes* existimavit *Malachiam* fuisse Angelum incarnatum, ut refert *Hieron.* præfatione in *Malachiam*: nec tamen id refutat tamquam impossibile. Idem *D. Hieronymus* in primum caput *Aggæi* sub finem ait: *Quidam putant Iouannem Baptistam & Malachiam, (qui interpretatur Angelus Domini) & Aggæum fuisse Angelos, & dispensatione Dei assumpsisse humana corpora: nec mirum hoc de Angelis credi; cum pro salute nostrâ, etiam Filius Dei humanum corpus assumpsit.* Idem in caput 7. *Danielis* in illud: *Considerabam cornua*, dicit quosdã existimasse Antichristum fore diabolum, scilicet incarnatum; quod videtur insinuare *Theodoretus* in Epitome diuinorum decretorum cap. de Antichristo, & indicat *Cómentarius D. Ambrosij* 2. ad *Thessal.* 2. quamquam reuerà nihil cogat hos duos Patres sic intelligere: solum enim dicunt Antichristum fore organum diaboli, in quo re ipsa & corporaliter fit diabolus habiturus, & omnem vim suam exerturus.

ARTICVLVS II.

*Virum natura diuina conueniat assumere naturam creatam?*

**R**espondetur *Primò*, Natura diuina potest dici secundariò & mediatè assumpsisse naturam humanam. *Secundò*, Filius immediatè & propriissimè. *Tertiò*, Pater & Spiritus S. nullo modo.

Ad Assumptionem duo requiruntur.

Prima & secunda pars probatur, Quia ad assumptionem duo requiruntur, scilicet vt assumens sit principiu, & vt sit terminus assumptionis; assumere enim est ad se sumere; atqui natura diuina est principiu assumptionis, scil. principiu quo, sicut & omnis operationis in exteriora; quia eius virtute diuina personæ omnia operantur. Item, est quodammodo principiu quod, ratione idètitatis cum persona. Est etiam terminus assumptionis, non ratione sui, sed ratione idètitatis cum persona Verbi: ergo natura diuina sumpsit humanam mediatè (quomodo intelligendi Patres quando dicunt naturam diuinam esse incarnatam) Filius autem immediatè & propriissimè; tam ex parte principij, quam ex parte termini.

Tertia pars probatur, Quia etsi Pater & Spiritus S. fuerit principiu assumptionis, non tamen villo modo fuerunt terminus: quia nec per se, nec ratione idètitatis cum Filio; quia re ipsa à Filio distinguuntur. Sed est

D V B I V M.

*An Filius Dei terminet & sustentet immediatè naturam humanam per aliquid absolutum & essenziale, An per suam rationem relatiuam & personalem? Quod alij Doctores sic proponunt: Quæ sit ratio formalis terminandi humanam naturam?*

Sententia Durandi.

**S**unt due præcipue sententiæ. Prior est *Durandi*, Filium terminare & sustentare natura

humanam primò & immediatè ratione cuiusdam perfectionis essentialis, nempe ratione subsistentiæ communis, qua primò & per se subsistit hic *Deus*: quare prius & immediatius factam esse vnionem ad naturam, quam ad personam. Nò tamen *Durandus* cogeretur fateri Patrem & Spiritum S. esse incarnatos; addit hanc vnionem non sufficere, vt aliqua persona dicatur per eam incarnata, sed tantummodò natura: quare præter hanc requiri aliam quandam cum ipsa Filij proprietate, ratione cuius ipse duntaxat, non Pater, non Spiritus sanctus dicitur factus homo.

Thomista parum ab eo differunt.

Ab hac sententiâ parum differt illa *Thomistarum*, qui dicunt humanam naturam per subsistentiam relatiuam Verbi subsistere; carere tamè existentia creatâ, sed existere per existentiam absolutam diuinitatis. Nam hæc existentia, reuerà est subsistentia *Durandi* communis toti Trinitati; quam nos etiam cum communiori sententiâ *Doctorem* in Deo ponimus.

Alterâ sententiâ est communior & verior, *Filium Dei humanam naturam terminare tantummodò per suam proprietatè relatiuam*. Pro qua

10

Dico *Primò*, Id quod immediatè assumit & simul terminat humanam naturam, est tantum Filius Dei; non Pater, nec Spiritus S. Est fide tenenda, vt patet ex *Scripturis* & *Concilio supra allatis* qu. 2. art. 2.

Solus filius terminat naturam humanam.

Dico *Secundò*, Id per quod Verbum diuinum immediatè terminat & sustentat naturam humanam, non potest esse aliqua perfectio absoluta, seu essentialis; quod sit commune toti Trinitati. Est communior sententiâ *Theologorum* in 3. dist. 1. vel 5. *Scottus* dist. 1. q. 5. & dist. 5. q. 1. & 2. *Ibidè* *Bonauentura*, *Gabriel*, *Paludanus*, & *Richardus*. *Alexander Halensis* 3. p. q. 4. memb. 1.

Non tamen per aliquid absolutum commune Trinitati.

Probat *Primò*, Ex *Concilio Toletano VI. & XI.* vtrobique cap. 1. in confessione fidei: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitatè nature*, id est, inquit, in eo quod propriam est Filij, non quod commune est Trinitati.

Probat *Secundò*, Quia alioqui Pater & Spiritus sanctus erunt homo per hanc vnionem.

12

Quod confirmatur *Primò*, Quia si Verbum diuinum terminet immediatè naturam humanam per quid absolutum: ergo hæc vnio erit facta immediatè ad aliquid commune tribus personis (quod etiam fateretur *Durandus*): ergo tres personæ æquè terminabunt naturam humanam per istam communem subsistentiam. Nam effectus tunc est communis, quando ratio causandi est communis: atqui ratio terminandi hic est communis, nempe communis subsistentia: ergo terminare & sustentare est commune tribus personis. Sicut si tres lineæ concurrant in vno punctum, & vna ex illis ratione illius puncti tangat aliquam superficiem; omnes illæ lineæ ratione illius puncti tangent eandem: pari modo, cum omnes tres personæ concurrant in vnâ subsistentiam communem, si Filius ratione illius, humanam naturam terminet; etiam Pater & Spiritus S. eandem terminabunt. Quod etiam alio simili potest probari: Pater, & Filius, & Spiritus S. idèo dicuntur vnus creator, quia ratio creandi est communis; scilicet potentia: ergo etiam quilibet ex illis verè sustentabit, terminabit, & assumet naturam humanam: quia ratio sustentandi, terminandi, assumendi, est communis.

Alioquin Pater & Spiritus S. esset homo.

à simili.

Confirmat.



Confirmatur Secundò, Iuxta hanc sententiam, hic Deus communis tribus personis, per se primò fit homo: atqui, Pater est hic Deus: ergo fit homo: quidquid enim convenit huic Deo, vt est communis tribus, conuenit etiã tribus personis.

13  
Responso  
Durandi.

Refellitur.

Respondet Durandus, Non sufficere hanc vnionem cum subsistentiã communi vt persona dicatur homò, sed vltius requiri aliam vnionem humanę nature cum personalitate illius personę. Sed contrã, Primò, Nec Patres, nec Concilia mentionem faciunt duplicis illius vnionis, nec alterius meminerunt, quã vnionis in subsistentiã: ergo non sine temeritate in tanto mysterio confingitur. Deinde, Ex hac responsione Durandi, tantũ sequitur Filium pluribus modis nature humanę vnitum, quã Patrem; & ideo magis perfectè esse hominem: non tamen efficitur quin etiã Pater sit verus homo, & in humanã naturã subsistat: quod tandem quaest. 4. concedit, admittens quod Pater in quantum Deus, sit homo. Quę locutio est omnino inaudita Veneribus; & ex eã sequitur, simpliciter & absolute Patrem dicendum esse hominem. Quia illud, in quantum Deus, non diminuit; sed solum designat rationem, ad quam immediatè est facta vnio; quę nimirum est Deitas, seu subsistentia essentialis.

Probatur Tertiò, In Filio est aliquid proprium & personale, quod potest esse immediata ratio terminandi naturam humanam: nam pręter subsistentiam absolutam, est subsistentia relatiua, vt ostensum est in Tractatu de Trinitate: ergo hæc est proxima ratio terminandi; non autè quid absolutum, & commune. Patet Consequentia; Quia hæc vnio facta est in naturã humanã, ad supplendam subsistentiam personalem: ergo hæc sola debebat illi communicari.

14  
Sed terminat per proprietatem relatiuam.

Dico Tertiò, Verbum diuinum immediatè terminat & sustentat naturã humanam per suam proprietatem relatiuam & personalem, quę est filiatio diuina, per quam præcisè constituitur persona Filij. Est certa, nec potest sine temeritate negari: cum enim hæc vnio non fiat immediatè in aliquo absoluto, necesse est vt fiat in aliquo relatiuo: quidquid enim est in Deo, est absolutum, vel relatiuum.

15  
1. Obiect. ab identitate personalitatis essentialis.

Refellitur.

Dices Primò, Inter personalitatem Verbi & essentiam, nulla est distinctio in re: ergo, si personalitas Verbi est ratio terminandi humanam naturam, etiã essentia.

Respondeo Negando Consequentiam: Est enim Verbum sit res simplicissima; tamen ratione suę eminentię continet virtute & formaliter rationem absolutam & relatiuam; ita tamen vt virtute sint distinctę. Quò fit, vt possit aliquid facere vel terminare per vnã rationem, quod non præstat per alteram. Sicut ipsum Verbum constituitur in esse personali, non per rationem absolutam, sed relatiuam. Et Pater communicat Filio & Spiritui sancto suam essentiam, omnemq; perfectionem absolutam; non tamen suam proprietatem relatiuam. Denique omnes tres personę operantur ad extra per essentiã quę ipsis est ratio agendi, non autem per relationes: ergo nihil mirum si Verbum possit terminare humanam naturam immediatè per suam proprietatem personalem, ita tamen vt non per essentiam. Sed contrã obijciatur: Est in Trinitate possint absoluta concipi

sine relatiuis, eò quòd non includant hæc essentialiter: tamen relatiua non possunt concipi sine perfectionibus absolutis; quia in suo conceptu includunt essentiã: ergo ratio non potest esse ratio terminandi, nisi etiã terminet essentia. Respondet deo, Est relatio personalis non possit ita præcisè concipi, quin in ea intrinsecè includatur, & veluti imbibita sit essentia diuina ob eius immensitatem, quã quidquid est in ipsa, sibi identificat: (sicut nullus modus entis potest ita præcisè concipi, quin in eo ratio formalis entis includatur ob eius transcendentiã) tamen vnio non fit immediatè ad essentiam, sed ad relationem; quia relatio aliquid addit nudę essentię (sicut modus entis aliquid addit rationi formali entis) habent enim se vt includens & inclusum: essentia enim in ipsa relatione quodammodo modificatur, ita vt inadæquatum conceptum habeat: sicut ratio entis in inferioribus, quamuis non omninò similiter.

Soluitur.

Dices Secundò, Essentia cõmunis vt est in Patre, est ratio generandi, non autem vt est in Filio: ergo subsistentia cõmunis vt est in Filio, poterit esse ratio terminandi & sustentandi naturã humanam; quamuis non sustentet eam, vt est in Patre.

16

Respondeo Primò, Hoc argumentum nullam vim habet pro sententiã Durandi, qui vult subsistentiam communem, secundum se, & vt est communis tribus, esse humanę nature vnitam.

2. Obiect. ab essentia communi ad subsistentiam communem.

Respondeo Secundò, Esse disparẽ rationem; quia generare est actus notionalis, quo producitur persona diuina: vnde in suo conceptu intrinsecè includit, vt sit in persona, quę origine est prior personã productã. Et ob hanc causã postulat esse in Patre. Terminare autem non est actus notionalis, sed veluti actus formalis respectu creature: vnde vt subsistentia cõmunis sit ratio terminandi & sustentandi naturam creatam, nõ magis postulat esse in Filio, quã in Patre. Nã cum respiciat creaturã, supponit omnes diuinas personas: quare non magis postulat esse in vnã quã in aliã, vt terminet aut sustentet creaturã. Sed si ipsa sit per se immediata ratio sustentandi, vt vult Durandus, sustentabit vt est in omnibus.

Refellitur a disparitate rationis.

Dices Tertiò, Ratio terminandi debet eminenter continere propriã personalitatẽ humanę nature: atqui Verbum non continet hanc eminenter per suam proprietatem personalem, sed per essentiam: ergo essentia est ratio terminandi, non autem proprietas personalis.

17

Respondeo, Scotus dist. 1. quaest. 4. negat requiri hanc continentiam eminentem; quia censet relationem Filij non continere perfectionem infinitam, Alioqui, ait, deesset Patri aliqua perfectio infinita: imò existimat eam secundum se nullam dicere perfectionem, & sic esse rationem terminandi. Caietanus verd reiectã sententia Scoti, vult hęc esse quandam eminentem continentiam, sed ita se explicat, vt ferè incidat in sententiam Durandi. Quare dicendum est, essentiam diuinam continere omnes personalitates creatas eminenter, idque & vi terminandi, & vi easdem producendi: personalitas autem diuina continet eas eminenter, non quidem vi causandi illas, sed quia continet omnem vim terminandi; nam potest omnem naturã terminare & sustentare, quã personalitate creata terminatur; adeò vt quidquid perfectionis est in omni personalitate creata, sit collectim in personalitate diuinã.

3. Obiect. Quod vis terminandi humanã naturam non continentur eminenter in personalitate Verbi.

Solutio Scoti.

Caietani.

Verior solutio.



Aduerte tamen, ad terminandam existentiam alterius naturæ, non esse per se necessarium, vt id quod terminat, contineat eminenter rationem hypostaticam illius naturæ propriam; vt patet ex dictis Art. 1. Dub. 2. huius Quæst. & probat Scotus dist. 1. quæst. 4. Per accidens tamen id potest esse necessarium: quia videlicet nulla personalitas creata potest vniri alteri naturæ, sed increata & infinita.

18  
Responso  
ad argu-  
mentum  
Durandi.

Ad Argumenta Durandi facile est respondere: Nam ad primum, Supponit esse vnã tantum in Deo subsistentiam, eamque absolutam & essentialem: hoc enim falsum est, nam præter illam sunt tres relatiuè realiter distincte, quibus constituuntur personæ; vt ostensum est in prima parte quæst. 30. art. 1. Ad secundum, Concedo personam Christi esse personam diuersæ speciei, atque adeo esse analogicè personam cum persona creata: non tamen ideò Christus est analogicè homo; quia personalitas non est de natura hominis.

Trin confes-  
saria.

Ex dictis intelligitur, Primò: Etsi quæuis persona diuina potuerit humanam naturam terminare, solam tamen Filij personam reipsa terminare. Secundò intelligitur, Cur in hac vnione vna persona vnatur sine aliâ: in omni autem aliâ vnione Dei cum creaturâ, vna persona nõ possit sine aliâ vniri: vt in vnione per gratiam, per visionem beatificam, per modum agentis cum instrumento &c. Cum enim omnes aliæ vniones sint accidentarie, & fiant mediatis accidentibus; necesse est Deum concurrere ad illas effectiue, quod est commune tribus personis, & nullum accidens est quod respiciat dumtaxat vnã personam. In visione etiã, est specialis ratio: cum enim personæ diuinæ sint relatiuæ, vna sine altera cognosci nequit: nam ordo ad correlatiuum, est de intima ratione relatiui. Tertio intelligitur, Patrem & Spiritum sanctum nullo modo fuisse vnitos humanitati assumptæ; quia ratio terminandi est in solo Filio. Neque refert quod diuinitas aliquo modo carni sit vnita, quæ Patri & Spiritui sancto identificatur; quia mediata tantum vnita est, & veluti in quodam tertio, in quo tertio aliæ personæ non conueniunt. Sicut, etsi natura diuina identificetur Filio, non tamen ideò Pater & Spiritus sanctus identificantur.

Cur potius  
vna perso-  
na vnita  
tur sine  
aliâ per  
vnionem  
hypostati-  
cam, quàm  
per gra-  
tiam.

19  
Pater &  
Spiritus  
sanctus  
singulari-  
ter sunt in  
Christo  
hominis.

Concedendum tamen est Patrem & Spiritum sanctum singulari & proprio quodam modo esse in hoc homine, quo nõ sunt in alijs rebus creatis; idque dupliciter. Primò, Quatenus Deus dicitur esse singulari modo, vbi singulari modo operatur: atqui tota Trinitas operata est & etiamnum operatur vnionem hypostaticam. Secundò, Quatenus diuinæ personæ sunt in se inuicem per quãdam *περιχώσιν*, vt ait Damasc. lib. 1. cap. 11. id est, mutuam continentiam & comprehensionem, idque ratione vnus essentia. Vnde cum Pater & Spiritus sanctus sint in Filio, & Filij peculiari modo sit in hac carne ex vi vnionis; etiam Pater & Spiritus sanctus, ex vi eiusdem vnionis, singulari quodam modo in hac carne erunt: adeo vt si non essent antea in illâ per essentiam, ex vi vnionis inciperent in eâ existere. Idem dicendum est de Eucharistiâ; nam ex vi vnionis, Verbum comitatur carnem: Pater autem & Spiritus sanctus comitantur ipsum Verbum ratione mutæ existentia.

## ARTICVLVS III.

Vtrum abstracta per intellectum  
personalitate, natura diuina  
possit assumere?

Responderetur affirmatiue. Notandum est, hunc articulum bifariam posse intelligi. Primò, De abstractione reali; Vtrum si reipsa in Deo non essent tres personæ, sed vna dumtaxat, sicut Iudæi & Turcæ existimant, posset hæc naturam assumere. Et in hoc sensu videtur à D. Thoma tractari, nec habet difficultatem: certum enim est eo casu non minus posse assumere, quã modò; quia illa persona non minus esset infinita, quàm modò sit Verbum. Secundò, De abstractione rationis, quã aliquid dicitur abstrahi, dum alterum præcisè consideratur, ipso non considerato; hoc sensu: Vtrum Deus, vt nunc est subsistens in tribus personis, possit sibi immediatè copulare naturam humanam, ita vt illam non vnatur immediatè proprietatibus personalibus: & hoc modo est difficultas in hoc Articulo, quæ petit alias de subsistentia absoluta. Vnde est

20  
Abstratio  
Realis.

Abstratio  
Rationis.

## DVBIUM I.

Vtrum sit in Deo vna subsistentia absoluta?

Respondeo; Præter tres subsistentias relatiuas realiter inter se distinctas, in Deo est quædam subsistentia absoluta & essentialis, ratione distincta à subsistentijs relatiuis; sicut essentia distinguitur à personis; quã subsistentiã perfectè subsistit hic Deus communis tribus personis, cui per se primò & immediatè conuenit operari foris. Est satis communis sententia Doctorum, D. Thomæ, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis, Caietani, Suarez &c.

Ratio est; Primò, Quia subsistere est perfectio simpliciter, sicut sapientia: ergo sicut diuina essentia formaliter & essentialiter est sapientia; ita etiam formaliter & essentialiter est subsistens; relationes autem nõ sunt formaliter de essentia diuinã: ergo præter subsistentiam relatiuam, quam tribuunt relationes, est in Deo subsistentia quædam absoluta, quam non habet à relationibus, sed ab essentia formaliter: sicut sapientiam non habet à relationibus, sed ab essentia. Secundò, Quia existentia diuinitatis, ex sua ratione formali & essentiali est omnino completa & perfectã; cum sit omnino infinita, continens omnem perfectionem essendi: ergo ipsa præcisè tribuit diuinitati existere per se, seu subsistere; nam hoc est complementum existentia. Confirmatur, quia nisi illa existentia esset intrinsecè completa, deberet concipi vt incompleta, & in potentia respectu sui cõplimenti; quod repugnat puro actui, & perfectioni infinite.

21

Essentia  
diuina per  
se formali-  
ter sub-  
sistit.

Dices, Si diuinitas per se subsistit subsistentia communi & essentiali: ergo subsistentia relatiuæ non vniuntur ei substantialiter, sed modo accidentario, tamquã adiacentes rei per se subsistenti. Confirmatur, Quia subsistentia in sua ratione claudit suum terminum: ergo vltius non potest substantialiter terminari.

22

Obiectio

Respondeo Negando Primam Consequentiam; quia subsistentia relatiuæ non vniuntur essentia & sub-



Subsistentia  
relatiua  
substantialiter  
vniuntur  
diuinitati.

& subsistentiæ communi, sicut personalitas in creaturis vnitur naturæ creatæ: hæc enim vnitur naturæ, tamquam ratio quædam formalis omnino diuersa à natura, nullo modo illam includens, vnde vnitur ad eam perficiendam & complendam, habetque se tamquam adiacens naturæ. At subsistentiæ relatiuæ vniuntur diuinæ naturæ, tamquam ea quæ intrinsicè diuinitatem includunt, quæque per ipsam diuinitatem sic modificatam, constituuntur: Sicut rationi entis vniuntur modi ipsum contrahentes; cum tamen hi modi intrinsicè includant entis rationem. Quare subsistentiæ relatiuæ substantialiter vniuntur diuinitati, cum in suo conceptu, diuinitatis rationem includant: quod fit, vt essentia diuina terminetur relationibus, non quia illis eget ad subsistendum per se, sed quia est ad eam perfectæ & immensa, vt possit ex se proferre tres subsistentias incommunicabiles, quibus ipsa intrinsicè communicetur: tamquam id quo, & id quod, id est, ita vt quæque intrinsicè sit Deus, & Deitas.

D V B I V M. II.

*Vtrum per hanc subsistentiam possit natura humana immediatè assumi & terminari, ita vt nulli personæ immediatè vnatur?*

23  
Subsistentia  
Dei absoluta  
potest  
immediatè  
terminare  
naturam  
humanam.

**R**espondeo & Dico Primò, Hic Deus vt subsistens per subsistentiam essentialem & communem, potest immediatè assumere & terminare naturam humanam per eandem subsistentiam. Fatentur omnes Doctores qui ponunt hanc subsistentiam in Deo.

Probatur Primò, Quia subsistentia hæc est simpliciter infinita: ergo potest esse ratio subsistendi in aliena natura, non minùs quàm subsistentia relatiua. Secundo, Quia per hanc subsistentiã essentialè Deus subsistit immediatè in se, cur ergo ipse per eandem non possit subsistere in natura aliena? Tertio, Hic Deus ita subsistens, est sufficiens principium creandi, propter infinitam potentiam: ergo & terminandi sustentandique naturam alienam, propter infinitam subsistentiam.

24

Dico Secundo, Si hic Deus immediatè humanam naturam assumeret, eam proximè per suam subsistentiam absolutam sustentando; singule quidem personæ ita vnirentur humanitati, vt in hac vnaqueque esset homo: tamen non esset necessariũ vt ipsæ terminarent eandem humanitatem immediatè per suas subsistentias relatiuas.

Quilibet  
persona  
diuina esset  
homo.

Prior pars, scilicet quod quælibet persona esset homo, est communis Doctorũ, excepto Durando: Et Probatur Primò, Quia si ratio assumendi & sustentandi naturam humanam est communis tribus personis, etiam assumptio, & sustentatio, & natura assumpta, cõmunis erit. Secundo, Quia hic Deus communis Patri, Filio, & Spiritui S. esset homo: ergo & Pater, & Filius, & Spiritus S. Tertio, Quia quælibet persona subsistit in diuinitate, non solum subsistentia personali, sed etiam essentiali: ergo si per eandem subsistentiam essentialè hic Deus subsisteret in humanitate, etiam quælibet persona per eandem in humanitate subsisteret, ac proinde quælibet esset homo.

25

Alter pars, scilicet, personas in eo casu non necessariò vniri immediatè humanitati per suas subsistentias relatiuas, tenetur à Caietano & Du-

rando, supra. Scotus autem & Gabriel relinquunt tamquam problema. Sed Probatur Primò: Quia etsi subsistentia relatiua idem sit ex parte rei quod absoluta; tamen ipsa potest esse immediata ratio terminandi humanam naturam, ita vt subsistentia absoluta non terminet immediatè: ergo vicissim, subsistentia absoluta poterit immediatè humanam naturam terminare, ita vt relatiua eandem non terminet. Secundo, Pater communicat Filio suam essentiam, non tamen Paternitatis relationè: ergo similiter essentia poterit esse ratio terminandi naturam humanam, ita vt relatio personalis eandem immediatè non terminet. Tertio, Subsistentia absoluta est in se perfectissima, & in ratione sustentandi simpliciter infinita; ergo nulla est causa cur eget confortio relationis, vt alienam naturam sustentet.

Ad hoc  
non  
essent  
necessaria  
subsistentia  
relatiua.

Dico Tertio, Etiam si non daretur subsistentia absoluta, tamen adhuc probabile est ipsam diuinam essentiã posse per se & immediatè terminare & sustentare naturam humanam. Probatur, quia vt vna natura trahatur ad inexistentem alteri supposito, non est necesse vt immediatè vniatur personalitati aut subsistentiæ, sed sufficit vt immediatè recumbat in naturã, & consequenter in supposito; sicut supra dictum est art. 1. dub. 2. de supposito creato. Et confirmatur; quia natura non habet minorè vim ad accipiendam, terminandam & sustentandam naturam alienam, quàm personalitas. Denique nulla hic apparet contradictio. Sed

26  
Essentia  
diuina  
potest  
immediatè  
sustentare  
naturam  
humanam.

Obijcitur Primò, Si persona diuina in illo euentu non cõiungeretur immediatè naturæ humanæ, sequeretur posse dari aliquem, qui sit hic homo, & tamen non sit persona. Resp. Negando sequentiam: Nam hic homo esset tres personæ; Sicut, hic Deus, est tres personæ. Concedo tamè quod non esset persona ex vi illius subsistentiæ absolute, quæ immediatè subsistit; aut ex vi naturæ, per quam in supposito existit; nam per hanc subsistentiam & naturam est communis tribus personis: esset tamè persona ex vi subsistentiæ relatiuæ, quæ illi mediatè coniungeretur. Sicut, hic Deus est persona, non ex vi subsistentiæ absolute, sed relatiuæ.

27  
Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Secundo, Inde sequeretur dari vnionem cum Deo substantialem; quæ neque sit in natura, neque in persona; ac proinde neque sit hypostatica. Respondeo, Fore vnionem in persona, ac proinde fore hypostaticam; non immediatè, sed mediatè, & ex consequenti: quia per hanc vnionem omnes personæ subsisterent in natura humanã, eamque terminarent, quamuis mediatè.

2. Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Tertio, Si in Deo esset tantum vna persona, humanitas assumpta non posset terminari à subsistentiã diuinã, quin simul immediatè terminaretur à personalitate, idque propter idètitatem: Sed tam idem est nunc quælibet persona diuina cum essentia, quam tunc esset: ergo neque modo &c. Resp. Neg. Conf. Quia illa subsistentia tunc esset absoluta, & esset ipsa personalitas Dei: vnde licet relationes nunc sint idem cum essentiã, non tamè eodem modo quo illa personalitas absoluta; quia non adæquatè sunt idem sicut illa.

3. Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Quarto, Illa humanitas careret tunc propria personalitate: ergo necesse est vt terminetur alia personalitate. Respondeo; Terminabitur alia personalitate, sed mediatè: non enim requiritur vt alia personalitas illi immediatè vniatur. Nam subsistentia essentialis, ipsaque natura

28  
4. Obiectio.  
Solutio.



diuina est sufficiens, si natura humana illi vnatur, vt impediatur in ipsa propria subsistentiam creatam, seu eius propriam personalitatem, vtque illam suppleat. Dices personalitas creata est incommunicabilis: atqui hæc incommunicabilitas non potest suppleri per subsistentiam illam communem, aut naturam diuinam: ergo hæc non possunt supplere personalitatem creatam. Respondeo; Subsistentia illa communis & natura diuina possunt supplere quidquid est meræ perfectionis in personalitate creatâ, non autem ea quæ sunt imperfectionis: atqui incommunicabilitas in personalitate creata prouenit ex aliquâ eius imperfectione, scilicet ex limitatione eius: vnde non debet suppleri per subsistentiam communem, vel naturam diuinam, accipiendâ ab illis similem incommunicabilitatem; sed potius accipiendâ loco eius communicabilitatem: natura enim humana, quæ ratione propriae personalitatis fuisset incommunicabilis, & tantummodò in vna persona; per subsistentiam communem vel naturam diuinam, fiet tribus personis communicabilis.

*Incommunicabilis persona creata, soluitur per assumptionem ad naturam diuinam.*

## ARTICVLVS IV.

*Vtrum vna persona possit sine aliâ naturam humanam assumere?*

<sup>29</sup> **R**espondetur duabus Conclusionibus. Prior est: Quidquid est actionis in assumptione, est commune tribus personis; id est, tres personæ efficiunt communiter hanc unionem. Est definitum in Concilio Lateranensi Capitulo Firmiter. *Vnigenitus, inquit, Dei filius à totâ Trinitate communiter est incarnatus. Et in Concilio Toletano Sexto, & Vndecimo, cap. 1. Et ratio additur, quia opera Trinitatis sunt indiuisa; scilicet propter unitatem potentie.*

Posterior Conclusio: Id quod pertinet ad rationem termini in assumptione, est proprium Filio; quia ad solam Filij personam natura humana est assumpta. Vnde patet, quomodo directè ad Articulum sit respondendum; scilicet, Vnam personam posse assumere naturam humanam sine alia, quòd ad rationem termini assumptionis attinet; non autem quòd ad effectum ipsius assumptionis.

*Distinguitur.*

## ARTICVLVS V.

*Vtrum qualibet persona diuina potuerit naturam humanam assumere?*

<sup>30</sup> **R**espondetur affirmatiuè. Ratio est, Quia in singulis est eadem potentia ad efficiendam ipsam unionem; & æqualis vis subsistendi, & sustentandi naturam unitam: ergo. Vide D. Thomam.

## ARTICVLVS VI.

*Vtrum plures persona diuina possint assumere eandem numero humanam naturam?*

<sup>31</sup> *Regat Scotus.*

**R**espondetur affirmatiuè. Notandum est, de hoc Articulo esse duas sententias. Prior est Scoti in 3. dist. 1. qu. 2. Richardi & Alberti ea-

dem distinctione, fieri nullo modo posse vt plures personæ eandem numero naturam assumant.

Verum contraria est multò probabilior; nimium tres personas diuinas posse eandem numero naturam hypostaticè & immediatè sibi vnire. Ita D. Thomas hoc loco, & passim Doctores in 3. dist. 1. vbi vide Durandum qu. 3. Gabriel, qu. 1. art. 3. Capreolum quæst. vnica, & Alensem in 3. parte, qu. 2. membro 4.

*Veritas affirmatur.*

Probat, Quia hoc nullam implicat contradictionem. In hoc autè mysterio, tota ratio facti, est omnipotentia facientis. Quòd non implicet; Probat Primò, non enim repugnat ex parte diuinæ personæ: quælibet enim potest naturam humanam assumere; & assumptio vnus non impedit assumptionem alterius. Sicut quòd Pater subsistit in natura diuina, non impedit quin Filius in eadem natura subsistat. Nec etiam repugnat ex parte nature humanæ; quia hæc est capax assumptionis secundum capacitatem obedientialem, quæ ad omnia se extendit, quæ contradictionem non implicat. Secundò, Quia eadem forma, v. g. *A similia* anima, virtute diuina potest esse in diuersis corporibus, etiam disitis: ergo multò magis eadem natura poterit vniri diuersis personis diuinis; præfertim cum hæc intimè præsentis sint, & ad hoc non requiratur informatio, sed solum terminatio & sustentatio.

*Non implicat.*

*A similia.*

Sed contrà. Obijcitur Primò ex Anselmo, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 9. expressè dicit tres personas non posse vnum eundemque hominem assumere. Quòd etiam sæpius repetit lib. de Incarnatione cap. 4. Respondeo, Anselmus expressè dicit: *Plures persona nequeunt vnum eundemque hominem assumere in Unitatem personæ: quare in vna persona hoc tantum fieri necesse est, scilicet vt vnus homo assumptus sit in unitatem personæ, ita videlicet vt inde resultet vna persona hominis. Dices, Cur Anselmus hoc dicit, cum id sit clarissimum? Respondeo, Anselmus assumit hoc tamquam per se notum, sicut multa alia. Supponit autem Deum ita incarnatum, vt inde extiterit vna persona hominis, quòd concedit Aduersarius lib. de Incarnatione cap. 4. Deinde, assumit tamquam notum non potuisse hoc fieri, si plures personæ fuissent incarnatæ: vnde tandem concludit suum propositum, scilicet Filium ita esse incarnatum, vt idcirco nec Pater, nec Spiritus sanctus debeant esse incarnati. D. Thomæ expositio ad hunc sensum est accommodanda.*

<sup>32</sup> *Obiectio ex D. Anselmo.*

*Soluitur.*

Obijcitur Secundò, Natura humana non est infinita: ergo non potest esse in pluribus personis. Patet Consequentia, quia idcirco dumtaxat natura diuina potest esse in tribus personis eadem numero, quòd sit infinita. Respondeo, Esse naturaliter & ex intrinseca sua ratione in tribus, prouenit ex infinitate; non autem esse supernaturaliter: hoc enim solum requirit potentiam infinitam in efficiente: atqui natura humana solum supernaturaliter per omnipotentiam Dei esset in tribus. Adde ita esse in tribus, vt omnino illis identificetur, prouenit ex infinitate; non autè esse in tribus à quibus manet distinctum.

<sup>33</sup> *Obiectio. Quòd, esse in pluribus personis, arguat infinitatem.*

*Distinguitur.*

Obijcitur Tertio, Vnus effectus non potest pendere à pluribus causis integris; vt vnum accidens à pluribus subiectis: ergo nec vna natura potest pendere à pluribus personis, quarum vnæ quæque integris.

<sup>34</sup> *Obiectio. Quòd vnus effectus pendet à pluribus causis.*

*Distinguitur.*

*Quòd vnus effectus pendet à pluribus causis.*

*Quæque integris.*



quæque sit terminus integer illam terminans & sustentans.

Conceditur.

Respondet Primò, Negando antecedens: quia vt aliquid sit causa integra, non requiritur vt sola efficiat; aut vt res ab ipsa sola dependeat; sed vt ipsa efficiat totum effectum virtute & actione sufficienti, quamuis aliæ causæ non concurrerent; ita vt effectus ab ipsa sola sufficienter proveniat, etiam si aliæ remoueantur. Et ita in proposito, si tres personæ eandem humanitatem assumerent, illa sic penderet à singulis, vt quamuis ab alijs dimitteretur, nihilominus sufficienter in qualibet subsisteret.

35  
Vna humanitas à pluribus personis assumpta, haberet diuersum esse personale à singulis.

Respondet Secundò, Negando Consequentiam, Est enim dispar ratio inter dependentiam effectus à causa, & naturæ à suo termino. Nam si vnus numero effectus dependeret à pluribus causis integris, deberet habere idem numero esse à singulis in solidum: si autem vna humanitas assumeretur à tribus personis, non haberet idem esse personale à singulis; sed aliud à Patre, aliud à Filio, aliud à Spiritu Sancto; & aliam cum singulis personam constitueret. Vnde ista humanitas non dependeret secundum idem à singulis personis; sed secundum diuersas subsistentias, & per diuersas uniones productas diuersis actionibus vnitiuis. Sicut si vnum accidens esset in duobus subiectis, penderet à diuersis subiectis; sed non secundum idem: aliam enim haberet inexistenciam ab hoc subiecto, aliam ab alio. Similiter si vnum corpus esset in diuersis locis, id fieret per diuersa vbi, & diuersas præsentias.

36  
4. Obiectio. Quod vna persona assumeret unionem alterius personæ.

Obijciat Quartò, Si natura humana assumeretur à pluribus, vnio cum vna persona, v.g. cum Filio, esset assumpta ab altera; scilicet à Patre: & contra: quidquid enim esset in natura, deberet esse assumptum: & sic vna persona assumeret aliã, quod est impossibile.

Soluitur.

Respondet, vnionem naturæ humanæ cum Filio, distingui modaliter ab ipsa natura; itaque naturam posse in aliquo constitui, in quo non ponatur illa vnio. Quod patet exemplo Eucharistiæ, nam corpus Christi sub speciebus habet quandam modum intrinsecum, & etiam quandam vnionem ad extrinsecum, quam non habet in cælo; & contra. Sed est.

D V B I V M.

*Virum si tres personæ assumerent eandem numero naturam, esset vnus homo, an plures?*

Vtraque pars probabilis.

37 **C**aietanus hoc loco, Et Gabriel supra existimant simpliciter fore plures homines; vnũ autem tantummodò secundum quid. Ratio illorum est, quia non daretur aliquid vnum pro quo supponat hic homo, sed darentur tria: quæ sententia satis probabilis est rectè exposita.

Sed dicendum est, Esse vnum hominem. Insinuat D. Thomas hic ad 1. & in 3. Sententiar. dist. 1. Durandus eadẽ dist. q. 3. & alij. Ratio est, Quia ad vnitatem substantiui, sufficit vnitas formæ, à qua fit denominatio, quamuis illa forma sit in pluribus suppositis. Nam sicut ad vnitatem specificam, sufficit eadem specie natura; ita ad vnitatem numeralem, sufficit eadem numero natura, quamuis supposita sint plura: vna enim

numero natura constituit vnum indiuiduum in illa specie, quod secundum se præcindit ab hoc vel illo supposito, sed solũ confusè cõtinet. Quod patet à simili: Tres personæ sunt propriè vnus numero Deus, quamuis ipsæ inter se distinctæ sint. Item, Pater & Filius sunt idem numero spirator. Quò etiam sit, non requiri vnã aliquam subsistentiam, ratione cuius dicantur esse vnus homo, vt vult Caietanus: quia Pater & Filius propriè sunt vnum principium Spiritus Sancti, & vnus spirator, propter vnum actum spirandi; & tamen non est aliqua propria subsistentia spirationis: ergo tres personæ erunt similiter propriè vnus homo, quamuis humana natura non habeat aliquam propriam subsistentiam, sicut natura diuina. Nec obstat quòd D. Thomas ait, *Tres personæ non fore simpliciter vnum*, id est, sine addito; quia vnus seorsim insinuat vnitatem personæ. Erunt itaq; vnus homo, nõ tamen erunt absolutè vnus.

A simili.

ARTICVLVS VII.

*Virum vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas?*

38 **R**espondetur affirmatiuè. Est communis sententia Doctorum dist. 1. Ratio est, Quia persona diuina quatenus est principium assumptionis, est infinitæ potentia: vt autem est terminus, habet infinitam vim terminandi & sustentandi. Et duæ naturæ humanæ secundum se possunt diuinæ personæ vniri, siue sint in diuersis locis, siue in eodem.

38

Dices ex Caietano, Pater habet infinitam vim generandi, & tamen non potest nisi vnum Filium generare: ergo similiter, etsi Filius habeat infinitam vim terminandi, non potest nisi vnã naturam assumere & terminare. Respondet, Est dispar ratio; nam illa vis generandi tota veluti expeditur in vnum actum, & terminum actus; quia actus est infinitus, & toti vi generandi adequatus; & terminus eius similiter est infinitus, & adequatus tum generationi, tum gignenti. At vis terminandi naturam creatam, non expletur per vnã naturam assumptam, sed in infinitũ redundat & exuberat.

Obiectio Caietani.

Soluitur.

Dices; Hinc sequi videtur personam diuinam non posse vllam naturam assumere. Patet, quia personalitas diuina habet in propria natura infinitam terminationem sibi quæ commensam, quã diuinam naturam terminat; in qua terminatione videtur tota eius vis exhauriri: ergo nihil præterea potest terminare.

39

Respondet, hoc argumentum rectè probat diuinam personam non habere naturalem habitudinem ad vllam aliam naturam, præterquam ad diuinam. Non autem probat quòd non possit se liberè & modo inferiore alicui naturæ extrinsecæ copulare. Etsi enim respectu diuinæ naturæ habeat terminationem naturalem sibi adequatã, eiusque vis naturali modo terminandi tota impendatur; tamen respectu alterius naturæ potest habere terminationem liberam inferioris conditionis, quã sit ea, quã naturam diuinam terminat: hæc enim vis terminandi numquam potest exhauriri. Explicatur in simili: Sicut Voluntas diuina etsi quòdammodò exhauriatur in amorem

Sustentatio necessaria in Deo se totam expendit: se-cus est de libera erga creaturas.

A simili.

D d iij natura-



44 Quæst. 3. De modo unionis ex parte assumentis. At. 7. Du. A. 8.

naturalem, quo se amat necessariò, tamquam obiectum adæquatum: potest tamen amare liberè creaturas; & numquam tot amat, quin possit amare plures. Item, potentia generandi in Patre, licet quodammodo exhauriatur respectu communicationis naturalis, quæ gignit Filium; potest tamen ulterius se extendere ad communicationes liberas inferioris ordinis, quibus condit creaturas.

Ratio di-  
uersitatis.

Ratio est; Quia communicatio necessaria, & communicatio libera, sunt diuersi ordinis, & ab eodè proueniunt, ordine quodam; & quasi secundùm diuersas virtutes in eadem infinitate fundatas. Similiter terminatio necessaria qua personalitas diuina terminat naturam diuinam, & terminatio libera qua terminat naturam humanam, sunt diuersæ rationis, & altera quodammodo fundatur in alterâ; cum enim personalitas diuina adeò sit infinita, vt possit terminare naturam infinitam; habet etiam suapte naturâ vim, vt possit se extendere ad infinitas naturas creatas & limitatas terminandas.

DVBIVM

*Virum si vna persona assumeret duas humanitates, esset vnus homo, an duo?*

40  
Durandus  
ait fore  
duos.

**R**espondeo; Quidam dicunt fore duos homines. Ita Durandus in 3. dist. 1. quæst. 3. Et Scotus ibidem quæst. 3. Ratio est; quia vt aliquid dicatur vnus numero, sufficit vnitas naturæ, quamuis plura sint supposita; vt dictum est art. superiori: ergo vt sint plura numero, sufficit pluralitas naturæ. Quæ sententia est satis probabilis.

Vt vnus non  
gatur.

Sed probabilius videtur quod absolutè & simpliciter dicendus sit vnus homo. Ita D. Thomas hoc loco ad 2. qui sententiam suam retractauit, quam in Tertium Sententiarum docuerat. Idem docent Gabriel, Caietanus, & alij.

Probatur Primò, Quia Christus nunc etsi habeat duas naturas, est absolutè vnus, & vna substantia: ergo esset vnus homo etsi haberet duas humanitates. Secundò, Christus tunc esset vna persona: ergo etiâ esset vnus homo. Tertiò, Homo habens plures artes, est tantùm vnus artifex, non multi artifices: ergo etiamsi haberet plures humanitates, esset vnus homo, non duo. Nec refert quod illæ formæ sint accidentales; nam in hoc est similitudo, quòd sint duæ formæ extra rationem suppositi, quæ tamen non tribuunt denominationem multitudinis. Quartò, Si essent duo homines; sequeretur, hunc non esse istum; & contrâ; quod falsum est. Nam sicut nunc hic Deus, est iste homo, & contrâ; Ita tunc hic homo, esset

iste homo. Item sequeretur, esse alium & alium hominem; quod indicat distinctionem suppositorum; vt patet in Trinitate.

ARTICVLVS VIII.

*Virum fuerit magis conueniens vt persona Filij assumeret naturam humanam, quam Pater vel Spiritus sanctus?*

**R**espondetur affirmatiuè. Notandum est D. Thomam supponere solum Filium esse incarnatum. Quod patet infinitis propè Scripturæ locis. Idem patet ex omnibus Symbolis. Ratio à priori est diuina voluntas.

Congruentiæ autem variæ adferri possunt. D. Thomas ponit quatuor: Prima est, quia Verbum est exemplar creaturarum, ac proinde creatura cum ipso quandam similitudinem & conuenientiam habet, vt commodè vniatur. Vltima quoque perfectio rei consistit in coniunctione cum suo exemplari. Secunda, per Verbum omnia sunt facta: ergo decuit vt omnia per ipsum repararentur. Sicut artifex eadè sapientiâ & arte facit opus, & collapsum instaurat. Tertia, Quia perfectio hominis consistit in sapientia: ergo decuit vt per Dei sapientiam, quæ est Filius Dei, perfectionem assequeretur. Quarta, Quia incarnatio facta est vt homines adoptione Filiorum Dei acciperent: ergo decuit vt ille incarnaretur, qui erat Filius Dei naturalis, vt per illum Pater faceret Filios adoptiuos.

His Adde quatuor alias. Quinta ergo sit; quia decuit vt is qui erat filius Dei naturalis, sine matre in æternitate; fieret Filius hominis sine Patre in tempore: ne si alia persona fuisset incarnata, sequeretur quædam confusio inter personas diuinas, cum essent duo Filij. Sexta, Quia persona diuina in natura assumpta, debebat pro nobis orare; atqui maximè conueniebat vt Filius oraret Patrem. Septima, decebat vt is esset mediator Dei & hominum, qui medijs est inter Patrem & Spiritum Sanctum. Octaua, quia homo perierat appetendo diuinam similitudinem & sapientiam: ergo per illû debebat reparari, qui erat imago Dei & sapientia.

Vide plura de his apud D. Augustinum de Ecclesiasticis dogmatibus c. 2. & Tract. 17. in Ioannem. B. Anselmum lib. 2. Cur Deus homo. cap. 9. & lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. Richardum de S. Victore lib. de Verbo Incarnato cap. 9. 10. & 11.

QVÆ.